

zione ad certam metam latet (§. 7. 9.) ita ut sine huius rectificatione omnimodam Altimetrie certitudinem (§. 12.) frustra quaereres, sed etiam quoniam (§. 15.) leges obseruare cogor. Valent lemmata siue angulus erroneus maior siue minor sit vero.

PROBLEMA IX.

§. 43. *Corrigere errorem in altitudine metienda ad quam patet aditus commissum.*

SOLUT. Probe examinandum num AB horizontalis nec ne, neque minus vtrum CAB angulum verum, an maiorem vel minorem efficiat (§. 42.), fieri hoc potest ope perpendiculari & collineatione reiterata (§. 12.). In priori casu inferas tangens erronei ad tangentem veri, vt altitudo falsa ad veram (§. 40.). In posteriori tangens anguli veri ad tangentem erronei, vt altitudo vera ad erroneam q. e. f.

PROBLEMA X

§. 44. *In altitudine Inaccessa errorem commissum corrigere.*

SOLUT. Generalia huc spectantia (§. 12.) monstrabit, haec igitur specialiora teneas. Quoniam in hoc casu e binis stationibus F & G bini metiendi sunt anguli, vna cum distantia stationum DF, frequentiores hic latere possunt aberrationes a vero, quam quidem alibi, qua propter maiori circumspetione quam in casu praecedaneo erit opus (§. 42.). Eundem autem per partes & 1) accurate per calculum Trigon. determinanda AF (§. 36. Trig.) & 2) siue erroneus angulus AFE maior sit siue minor res expedienda per (§. 40. 41.) q. e. f.

SCHO-